UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Rückdeckel

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eſſe in ſcripto vitium librariorum (vt accidit) errore dilapſum, putamus.

XIII. SVR OMISSA PROFESSIO QVINTÆ SYNODI.

Quod vero eadem ſancta Synodus cum ſacroſanctas Oecumenicas recenſet Synodos, omiſſa Quinta, quatuor tantum numerat, nempe Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam & Chalcedonenſem: rationem diſces ex Gregorio Romano Pontifice *a*, quod videlicet in Quinta (vt alta) non ſit actum de fide, ſed de perſonis: in illis vero quatuor de fide, ob idque illarum profeſſio neceſſaria videretur. Nihil eſt ergo, vt ob id iidem ſanctiſſimi Epiſcopi in ſuſpicionē ſchiſmatis poſſint adduci, quibus cum conſtat (vt dictum eſt) Apoſtolicam ſedem litteris atque legatione ad Regem miſſis communicaſſe. Videmus enim & ipſum quoque Gregorium *b* interdum nonniſi quatuor recenſere Oecumenicas Synodos, cum tamen & Quintam recipiendam eſſe teſtetur *c*.

a Greg. lib. 5. epiſt. 37.
b Greg. ad Theodolin. lib. 3. epi. 25.
c Greg. lib. 2. epi. 24. in fin.

XIV.

Ad eumdem Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopum Nitigium, ſimulq; ad vniverſū Lucēſe Cōcilium Martinus Bracharēſis Epiſcopus collectionē & emendationē Orientaliū canonū direxit huiuſcemodi perbreui præfatione notatā:

MARTINI BRACHAR. COLLECTIO CANONVM.

Domino meo beatiſſimo & Apoſtolicæ ſedis honore ſuſcipiendo in Chriſto fratri Nitigio [*] *Epiſcopo vel vniuerſo Concilio Lucenſis Eccleſiæ Martinus Epiſcopus. Canones ſancti, qui in partibus Orientis ab antiquis Patribus conſtituti ſunt, poſtea autem ſuccedenti tempore in Latinam linguam tranſlati ſunt. Et quia difficile eſt, vt ſimpliciùs aliquid ex alia lingua transferatur in aliā, ſimulq; & illud accidit, vt in tantis temporibus ſcriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa prætermittant, & propterea in ipſis canonibus aliqua ſimplicioribus videantur obſcura: ideo viſum eſt, vt cum omni diligentia, quæ per tranſlatores obſcuriùs dicta ſunt, immutata ſimpliciùs, & emendatius reſtaurarem, id primum obſeruans, vt illa, quæ ad Epiſcopos vel vniuerſum clerum pertinent, vna in parte conſcripta ſint; ſimiliter & quæ ad laicos pertinent, ſimul ſint adunata: vt de quo capitulo ſcire aliquis voluerit, poſſit celeriùs inuenire.* extat ipſa collectio canonibus octoginta quinque locupletata.

* Nigezio

XV.

Verum fuerunt eiuſdem viri alia ſcriptorum monumenta, de quibus Iſidorus dum agit, hæc ait *d*: *Martinus Dumienſis monaſterij ſanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus nauigans, in Galliciam venit: ibique conuerſis ab Ariana impietate ad fidem Sueuorum populis regulam fidei & ſanctæ religionis conſtituit, eccleſias informauit, monaſteria condidit, copioſaq; præcepta piæ inſtitutionis compoſuit. Cuius quidem ego legi librum de Differentiis quatuor virtutum, & aliud volumen epiſtolarum, in quibus hortatur vitæ emendationem & conuerſionem fidei, orationis inſtantiam, & eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia cultûrum virtutum omnium pietatem. Floruit regnante Theodomiro Rege Sueuorum, temporibus illis, quibus Iuſtinianus in Republica, & Athanagildus Hiſpaniis Imperium tenuere.* hæc Iſidorus. Porro libellum illum de Virtutibus quatuor complectentem honeſtæ vitæ formulam, inſcripſiſſe ad Mironem Regem, Sigebertus *e* eſt teſtis. Reliqua de eodem Sancto rurſum in eius obitu dicturi ſumus. Sed iam pandat vela in Orientem oratio.

d Iſid. de Script. Eccl. c. 22.
e Sigebert. de Script. Eccleſ. c. 19.

XVI.

Hoc ipſo anno, qui numeratur S. Anaſtaſii Sinaitæ Epiſcopi Antiocheni ſedis vndecimus (vt in Chronico Nicephorus docet) ipſe à Iuſtino Imperatore in exiliū miſſus eſt, inque locum eius ſubrogatus Gregorius fuit. Hæc autem quomodo ſe habuerint, ab Euagrio res ſui temporis proſequente petamus hiſtoriam; ipſe enim de his agens hæc primum ait *f*:

f Euag. lib. 5. c. 6.
CALVMNIÆ CONTRA ANAST. ANTIOCH. EPISCOP.

Iuſtinus itaque Anaſtaſium his illi obiectis criminibus, primum quod ſacrum theſaurum extra modū & in nullum vſum neceſſarium profuderit: deinde quod conuicia in ipſū iecerat (Anaſtaſium enim, cum rogaretur, quid cauſæ eſſet, cur ſacrum theſaurum tam effuſè aſſumpſiſſet? ingenue reſpondiſſe ferunt: Ne à Iuſtino communi totius Orbis Principe diriperetur) ſede Antiochena exturbauit. Quin etiam dicitur, Iuſtinum Anaſtaſio ſuccenſuiſſe, quod poſtulanti ei pecuniam, cum Epiſcopus eſſet deſignatus, Anaſtaſius dare noluit. Alia præterea crimina à quibuſdam, qui Imperatoris inſtituto (credo) inſeruire ſtudebant, ei intendebantur. hæc Euagrius de exilio Anaſtaſii, qui exul vixit annis viginti quatuor; tot enim annis ſedit Gregorius, qui in locū eius à Iuſtino eſt ſubrogatus, vel annis viginti tribus, vt idem habet Euagrius *g*; inde Mauritii Imperatoris tempore iterum reſtituitur, vt ſuo loco dicemus inferius. Verum cum à Iuſtino depoſitus dicatur Anaſtaſius, non tamen ſine coacto adhoc Epiſcoporum conuentu id eſſe factum ſcias: docet id enim Eutychii Conſtantinopolitani Epiſcopi ſuperius enarratum exemplum. Porro quem in locum eius ſubſtitutum Gregorium diximus, hunc mirifice laudat Euagrius ſic dicens *h*:

g Euag. lib. 5. c. vlt.
h Euag. lib. 5. c. 6.

XVII. GREGORII EPISC. ANTIOCHEN. IN LOCVM ANASTASII.

Poſt illum Gregorius ad ſacrum Epiſcopatus gradum elatus fuit, qui ob poëticam facultatem magnam apud omnes gloriam conſecutus eſt. Hic ineunte ætate monaſticam viuendi viam ingreſſus eſt, & adeo viriliter & excelſo animo in ea decertauit, vt cum iam primum pubeſcere inciperet, ad ſummum ac perfectiſſimum gradum peruenerit, præfueritq; monaſterio Conſtantinopoli, in quo vitam inopem & auſteram degit. Deinde mandato Iuſtini monaſterio in monte Sina præfectus fuit: vbi obſeſſus à barbaris Scenitis Arabibus in grauiſſima incidit pericula. At cum in illis locis pacem conſtituiſſet, inde ad Epiſcopatum capeſſendum accerſitus fuit. Erat vir quidem, ſiue prudentiam, ſiue virtutem ſpectes, omnium præſtantiſſimus, & ad quamcumq; rem animum ſuum applicaret, in ea perficienda longe diligentiſſimus: atque vt metu perculli non poterat, ſic nullo modo adduci, vt vel ſententia cederet, vel hominum pertimeſceret poteſtatem.

XVIII. GREGORII LAVDES.

Ita porro magnificas pecuniarum fecit largitiones (liberalitate namque & munificentia in quemque vſus) vti cum aliquo prodiret, ingens multitudo, præter eos, qui illum comitari conſueuiſſent, eum ſequeretur, & qui vel viderent, vel audirent eum quopiam iturum, frequentes confluerent. Atque ad eximiam illius dignitatis amplitudinem, in qua collocatus fuit, hæc ſecunda adiecta fuere ornamenta, quod videlicet homines ſua ſponte inducti tam ſæpe vel prope in eum intueri, vel verba facientem audire cuperent. Erat enim ad deſiderium ſui in animis omnium, qui quacunque de cauſa vel quocunque modo ipſum compellaſſent, iniiciendum aptiſſimus, admirabilis cum primis aſpectu, ſermone propter leporem iucundiſſimus, & ſicut ad rem quampiam intelligentiæ acumine ex tempore eliciendam peracutus, ſic ad optimū conſilium capiendum & ad iudicandum tum de ſuis rebus, tum de alienis ſolertiſſimus. Vnde etiam euenit, vt tot & tam egregia facinora gereret: nihil enim diſtulit in craſtinum.

XIX.

In magnam præterea traduxit admirationem non ſolum Imperatores Romanos, verū etiam Reges Perſarum: propterea quod omnibus ita vti poterat, ſicut tum poſcebat neceſſitas, tum occaſio, quam non aliquando omiſſis, poſtulabat. Cuius quidem rei ſingulæ eius res geſtæ argumento eſſe poſſunt. Erat quoque in eo multa ſeueritas & interdum ira: non exigua rurſus, imo etiam permagna comitas & manſuetudo: vt illud prudens Gregorij Theologi dictum in eum optime conueniret: Seueritas ſic cum pudore temperata fuit, vti neutra res læderetur ab altera, ſed vtraque alterius ope maximam conſequeretur commendationem. hæc Euagrius: ſed & alia de eodem laude digniſſima tradunt: quibus appareat eum minime fuiſſe violenter in ſedem Antiochenam intruſum, ſed legitime electum, cum Anaſtaſius fuiſſet in Synodo ab Epiſcopis etſi non iuſte, aliqua tamen ſpecie prætenſa iuſtitiæ legitime condemnatus. Alioquin quam commeruiſſe potuit laudem intruſus? an non potius inſectandus probris, qui vt fur & latro aliunde, quam per oſtium in ouile ouium aſcēdiſſet? Porro eundem Gregoriū etiam poſtea ex aliis rebus probe geſtis ſummā gloriā aſſecutum eſſe, dicetur inferius.

XX. i Prat. Spiritual. DE COSMA ABBATE ORTHODOXO MIRACVLA.

Hæc vero in eius ingreſſu mira illa dicenda, quæ de eodem Gregorio Epiſcopo Antiocheno in Prato Spirituali *i* habentur, dum eiuſmodi narratur hiſtoria de S. Coſma Abbate: *Narrauit nobis Abbas Baſilius presbyter Bicatinorum, dicens: Cum eſſem Theopoli apud Patriarcham Gregorium venit ab Hieroſolymis Abbas Coſmas eunuchus Lauræ Pharan, vir ſingularis religionis & fidei, rectorumque dogmatum valde tenax & Zelator, ac diuinarum Scripturarum ſcientia non mediocriter inſtructus. Cū ergo fuiſſet ibi ſenex dies non paucos, defunctus eſt. Et iuſſit Patriarcha precioſas illius reliquias in monaſterio ſuo ſepeliri, vbi & poſitus erat quidam Epiſcopus. Die igitur quadā profectus ſum, vt ſalutarē ſepulchrū ſenis. Erat autē ſupra ſepulchrū eius iacens homo quidā pauper eleemoſynā petens ab ingredientib. in templum. Cum ergo me conſpexiſſet pauper tertio proſtratum & ſeni orationem facientem, dicit mihi: Abba, magnus profecto*

erat

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN